

Illustrissime Domine.

Scripsit ad me ita pridem Reverendus Pater Ludovicus Richeomus libellum nostrum ab Illustriss/a Dominatione Vestra lectum et cum elogio commendatum suae Sanctitati. Gaudeo sane vehementer gravissim<sup>o</sup> calculo vestro probatum esse, quem ne luce quidem dignum judicabam: et opto mihi occasionem aliquam dari qua mihi in publicum liceat alia quaedam Illustrissimae Dominationi vestrae devota. Est mihi in manibus responsio ad nefariam apostatae cujusdam nostri Protocatistasim: quod mihi onus sanctae memoriae pater noster Claudius Aquaviva imposuit. Habeo praeterea quinque sacrorum Miscellaneorum libros affectos, quos concionatoribus non inutilis fore spero. Quamquam haec cui scribo? vel cur libellos nostros ei commemoro qui scriptorum suorum splendore rem christianam supra caeteros omnes hoc saeculo illustravit? Nec vero id auderem nisi mihi jam à Parisiensis obsidionis tempore perspecta esset Illustriss/ae Dominationis vestrae erga omnes humanitas: quae me etiam non aegre adduxit ut haec pauca attexerem. Concionor in hac Arausicana ecclesia frequenti sane populo: Calvinistae non pauci ventitant. Est enim haec civitas jam tunc à nascente Calviniana haeresi plurimum infecta. Agit primum in hujus urbis collegio Scotus nobilis, medicinae doctor, vir doctus et moribus valde compositis, sed qui à teneris haeresim hausit. Deus illum sua luce perfudit, certum illi est haeresim ejerare. Habet ea res plurimum momenti, in hac praesertim urbe quam nupera cujusdam Capucini concionatoris apostasia graviter affecit. Id nunc unum studemus ut homini externo, cuique per haereticos non licebit diutius primum Collegii agere, honesta vitae aliqua ratio non desit. Qua de re hinc à pluribus scriptum est ad Reverendissimum episcopum Arausicanum. Quid porrò Illustriss/a Dominatio vestra suo merito in hujusmodi negotiis apud Suam Sanctitatem possit, nemini obscurum est. Atque haec res me adduxit ut eam supplex per literas adirem, peteremque obnixè ut huic ecclesiae graviter certe laboranti, hoc in negotio adsit. Deum rogo quàm possum maxime ut Illustriss/am Domi-

15 avril 1615.J.Machaldus à Bell.(contin.)

15  
4066<sup>a</sup>

/ nationem vestram multos adhuc annos Ecclesiae suae conservet inco-  
lumem. Arausii 15 Aprilis 1615.

Illustriss/ae Dominationis Vestrae

servus in Christo

Joannes Machaldus

(adresse): Illustrissimo Domino S.R.E.Cardinali Bellarmino (cach)

---

Archiv.Vatic.Mss.Gesuit.18 fol.106. Orig. autogr.